

cujuscunque colloquium, aut commercium initiuere licitum est, sed tantum ut hostis prosequi per modum Imperii, coactionis, & expulsiōis debet. Neque ad vana, aut curiosa edificanda diabolū adjurare oportet: sed solum ad ea, quæ ad rem pertinent, videlicet de numero: Nomine obfidentium, tempore, quo ingressi sunt, de causa ingrediendi, & aliis ejuscemodi. Quibus autem sacris verbis, aut signis, viderit exorcista. Dæmonem magis orgeri, iis magis, ac crebrius instet. Si autem viderit, obfessum aliqua corporis parte commoveri, pungi, vel tumorem apparere, ibi Crucis signum, & Aquam benedictam, quæ semper in promptu esse debet, adhibere non intermittat Layman loc. cit.

754 Quia paulò ante facta est aliqua mentio de sacris Reliquiis, non possum omittere, hic insinuare, quod habet noster P. Herinex, nimitum reliquias Sanctorum, ut publicæ venerationi possint exponi, recognoscendas esse, & approbandas ab Ordinario loci, seu Episcopo, iuxta Concil. Trident. sess. 25. in Decreto de Reliquiis Sanctorum. Ad Reliquias tamen privatim colendas non requiritur approbatio, sed sufficit, quòd prudenter judicentur esse veræ Reliquiæ, nec requiritur ad hoc, ut sint alicujus sancti Canonizati, modò habeatur prudens judicium de illius Sanctitate, imò non desunt Auctores (quamvis alii contradicant) qui existimant, posse ad ornatum includi Cruci expositæ in Altari Reliquias non approbatas: quia tunc non videntur exponi venerationi, sed potius ipsa Crux. Possunt etiam pic, & licitè gestari ad collum juxta DD. unanimiter, & communem usum fidelium, ac Piorum. Ita Herinex de Incarnatione dist. 3. qu. 2. num. 40. in dubiis Regul. verj. Reliquiæ Sanctorum num. 14.

CAPUT SECUNDUM.

DE SACRAMENTIS CONFIRMATIONIS, ET EXTREMÆ UNCTIONIS.

Quoniam confirmationis Sacramentum specialiter institutum est, ut baptizati per unctionem cum Chrismate, roborentur in spiritali militia Christi, ad fortiter pugnandum, tum interiùs contra tentationes, tum exteriùs in quibusvis casibus, etiam cum discrimine vitæ, si opus sit, pro conservatione Fidei in Baptismo receptæ. Et quia etiam Sacramentum extremæ unctionis specialiter institutum est, ut infirmi, per unctionem cum Oleo infirmorum, roborentur specialibus quibusdam auxiliis, contra difficultates, & tentationes in mortis articulo occurrentes: ideo hæc duo Sacramenta in hoc secundo capite conjungimus, utriusque essentialiam, materiam, formam, ministrum, subiectum, &c. per distinctas Sectiones, & Quæstiones explicaturi. Sit itaque in nomine Domini.

SECTIO I.

De Sacramenti Confirmationis institutione, materia, forma, & ministro.

QUÆSTIO I.

Quid sit Confirmatio, & quando instituta?

SUMMARIUM.

- 1 & 2 Confirmatio Sacramentum variis intitulatur Nominibus.
3 De fide est confirmatio esse verum legis novæ Sacramentum.
4 Assertitur, & explicatur definitio confirmationis.
5 Fuit instituta à Christo Domino, ut Sacramentum in nocte cænæ Domini.

ASSERTIO I.

Confirmatio est Sacramentum, quo homo viator inungitur in fronte ab Episcopo, cum Chrismate, & prescripta verborum forma ad fidei robur consequendum, & prescripta Domino institutum in nocte cænæ Domini. Communis DD.

S. I. Confirmatio.

Eximius titulus in S. Scriptura, & à Sanctis Patribus nobilitatur: siquidem I. Ab excellentiori effectu dicitur Confirmatio: quia Edelibus tantam virtutem, & fortitudinis robur contribuit, ut Christi fidem, ac Religionem invicta animi constantia, coram se videntibus etiam Tyrannis profiteantur. A cæremonia, per quam hoc Sacramentum suscipientes consignantur in fronte, appellatur à S. Clemente Epist. 4. Consignatio, à S. Cypriano Epist. 63. Signaculum Dominicum. Ratione materiz, qua constat, vocatur à Sancto Dionysio Areopagita, Ecclesiast. Hierarchia, cap. 4. Perfectrix unctio, & consummatio. A ritu, vel consuetudine, quo Sacramentum illud conferre solebant Apostoli, nominari consuevit Manus impositio. Secundum illud Act. 8. tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Ex adverso hæretici illud ipsum Sacramentum suis dentibus configunt, & proscindunt, dum putant, esse meram Ecclesiæ Cæremoniam, contra quos sit

S. II. Est Sacramentum.

DE fide certum est, confirmationem esse unum ex septem novæ legis Sacramentis à Christo Domino institutum. Ita definitum est in Concilio Florentino, in Decreto, de unione Armenorum §. secundum, ubi sic dicitur: secundum Sacramentum est confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex Oleo, (quod nitorem significat conscientie) & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ) per Episcopum benedictio: Et in Trid. sess. 7. can. 1. de Sacram. in genere, & can. 1. de confir. quæ veritas etiam ex S. Scriptura deducitur Act. 8. tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum: ibi Eugenius IV. in Florentino cit. per Manus impositionem Chrismatis unctionem, & per accipere Spiritum sanctum, intelligit donum gratiæ sanctificantis, ex quo loco etiam evidenter colligitur, hoc Sacramentum esse à baptismo condistinctum: ait enim sacer textus de Apostolis loquens: Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini JESU. Et hoc idem probatur pluribus, & expressis SS. Patrum testimoniis, Dionysii, Clementis Rom. Urbani I. Tertulliani, Cypriani, Augustini, Gregorii, & aliorum, quorum verba passim referunt recentiores, quos vide: mihi enim non vacat exscribere.

S. III. Quo Homo viator baptizatus inungitur

IN fronte ab Episcopo cum Chrismate, & prescripta verborum forma, ad fidei robur consequendum. Ita communis, & conformis Doctori Subtili in 4. dist. 7. q. 1. In qua definitione quatuor causarum genera exprimitur, ac etiam subiectum istius Sacramenti capax, quòd est homo vivens in hoc mortali corpore, & baptizatus: per particulam inungitur, indicatur causa materialis proxima, quæ est unctio. Per aliam cum Chrismate indicatur materia remota, quæ est Chrisma. Per aliam ab Episcopo, indicatur causa efficiens ministerialis hujus Sacramenti. Dicitur sub prescripta verborum forma, ad denotandum causam formalem, quæ in verbis ab Episcopo prolatis continetur. Additur tandem: Ad fidei robur consequendum, ut effectus, & causa finalis hujus Sacramenti ostendatur.

S. IV. Confirmationis Sacramentum fuit institutum in nocte Cænæ Domini.

Quo tempore confirmationis Sacramentum fuerit institutum à Christo Domino Salvatore nostro, quamvis aliqui, ut ait Suarez disp. 32. sect. 2. apud Matrium Theol. Moral. disp. 17. q. 5. art. 2. num. 64. Censeant fuisse institutum post Christi Domini Resurrectionem: cum Apostolis plenitudinem Episcopalis potestatis in corpus mythicum Ecclesiæ suæ contulit: dicens illis: sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Communis tamen, & probabilior sententia est, quòd in nocte Cænæ Domini fuerit à Christo institutum: unde promanavit consuetudo Sacrum Chrisma conficiendi in die Cænæ Domini, quæ quidem semper in Ecclesiâ observata est, & adhuc servatur, & hanc sententiam expressè tradidit Fabianus Papa Epistola secunda, capite primo; dum ait: In illa die Dominus Jesus, postquam cenavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut à Sanctis Apostolis Predecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Chrisma conficere docuit. Ubi per Chrisma Sacramentum Confirmationis intelligitur: quòd totum postea confirmavit

mavit etiam Catech. Rom. de Sacram. confirm. Ubi tamen advertendum est, quòd licet Christus ea nocte, Apostolos docuerit Chrisma conficere, satis tamen probabile est, Neminem eorum tunc temporis datam esse potestatem, conferendi hoc Sacramentum: quia Apostoli in ultima cænâ nondum instituti erant Episcopi, ad quos tantum spectat, hoc ministrare Sacramentum, sed Christum illam potestatem Apostolis contulisse post Resurrectionem Joann. 30. Cùm dedit eis plenariam potestatem Ordinis sacerdotalis, & Episcopalis, quando dixit: Accipite Spiritum sanctum, &c. per quod etiam conciliari possunt allatæ opiniones, dicendo cum Conincb. Bonacina, Aretino, & aliis, institutionem Sacramenti confirmationis inchoatam fuisse in die ultimæ cænæ: cùm ibi instituta fuerit materia, & forma: completam verò fuisse hujus Sacramenti institutionem post Christi Domini Resurrectionem, Joann. 20. cùm data fuit Apostolis plena potestas Ordinis sacerdotalis, & Episcopalis. Nullatenus tamen admittenda est opinio quorundam dicentium, hoc Sacramentum fuisse institutum Matth. 29. quando Christus parvulis imponebat manus: Cùm enim parvuli nondum essent baptizati. Verisimile non est, tunc institutum fuisse confirmationis Sacramentum, quòd baptismum supponit. Mastrius loco citato n. 64.

QUÆSTIO II.

De materia remota, & proxima Sacramenti Confirmationis.

SUMMARIUM.

- 7 Materia remota confirmationis est Chrisma, confectum ex Oleo Olivarum, & Balsamo.
8 & 9 Solvuntur objectiones.
10 Sufficit balsamum, etiam imperfectum.
11 Chrisma debet esse consecratum ab Episcopo.
12 An simplex sacerdos possit illud consecrare?
13 Materia proxima est unctio cum Chrismate facta per modum Crucis, in fronte confirmandi.
14 Solvitur obiectio.

ASSERTIO II.

Materia remota Sacramenti confirmationis est Chrisma confectum ex Oleo Olivarum, & balsamo simul, consecratum ab Episcopo; materia verò proxima est unctio cum Chrismate facta, in modum Crucis, Pollice dextero Episcopi, in fronte confirmandi. Communissima.

S. Materia remota Confirmationis est Chrisma.

ITA Doctores Angelicus quæst. 72. art. 2. & 4. Seraaphicus 4. dist. 7. part. 1. qu. 2. Subtilis in 4. dist. 7. qu. 1. & Irrefragabilis noster Alexander Aletius, cum Chola Subtilium, & recentiorum fere omnium teste Mastrio Theol. Moral. disp. 17. qu. 5. num. 69. tum patet ex Concil. Florentino in Decreto unionis dicente secundum Sacramentum est confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex Oleo (quod nitorem significat conscientie) & balsamo (quod odorem significat bonæ famæ) per Episcopum benedictio. Tum ex Concilio Tridentino sess. 7. can. 2. de confirmatione, definitio: Si quis dixerit, injurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit. Tum ex perpetua traditione, & praxi Ecclesiæ, & colligitur etiam ex sacra Scriptura, 2. Corinth. 1. Qui confirmat nos vobiscum in Christo: & qui anxie nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus sancti in cordibus nostris; quem textum Sancti Patres communiter intelligunt de unctione confirmationis per Chrisma. Accedit unanimis consensus sanctorum Patrum; quotquot enim hujus Sacramenti mentionem fecerunt, fere omnes pro materia illius assignant Chrisma. Idem docet Catechismus Romanus de confirmatione. Debet autem Chrisma confectum esse ex Oleo, scilicet Olivarum, (quod Olei nomine absolute censetur: Neque de hoc unquam in Ecclesiâ dubitatum fuit: ut proinde certissimum sit, non sufficere Oleum artificiale ex seminibus expressum: Teste Herinex disp. 9. de Sacramento confirmationis, qu. 2. num. 16.) & balsamo. Patet ex Concilio Florentino citato, ac ex perpetuo ritu Ecclesiæ: Unde imprimis manifestum est mixtionem hanc esse necessariam necessitate præcepti: deinde etiam necessaria est necessitate Sacramenti, contra Cajetanum, Sotum, Dicastrum, & alios hoc negantes. Ratio est: Quia omnes Veteres Theologi simpliciter asserunt, ma-

Supplem. Theol. Sacramental.

teriam confirmationis esse Chrisma ex Oleo, & Balsamo confectum sine præmissa distinctione, quòd Balsamum tantum sit necessarium necessitate præcepti, non Sacramenti, quam primus tradidit Cajetanus, teste Babilio Pontio pagina secunda, capite secundo, numero secundo. Posteriores quoque Theologi quasi communiter censent mixtionem hanc esse de essentia, & valore Sacramenti. Quæ doctrina probatur ex Concilio Florentino citato; ubi (quando aliunde non constat contrarium) assignat materias, & formas essentielles Sacramentorum, & pro hujus Sacramenti materia simpliciter assignat Chrisma confectum ex Oleo, quod nitorem significat conscientie, & Balsamo, quod odorem significat bonæ famæ. Ubi æqualiter exigit Oleum, & Balsamum: ergo si unum est de necessitate, & valore Sacramenti, etiam alterum erit. Aliàs verò Concilium Florentinum, agens de Sacramento Baptismi, cautè inter essentialia distinguit, & agens de materia Sacramenti Eucharistiæ in consecratione calicis, non dicit ex æquo, esse aliquid ex Vino, & Aqua mixtum, sed Vinum de Vite, cui ante consecrationem Aqua modicissima admisceri debet, ut ex ipso assignandi modo indicet, non æquè unum, atque aliud esse materiam calicis; cùm unum in recto, aliud in obliquo assignet. De confirmationis verò materia agens; Balsamum, & Oleum, & utrumque in obliquo assignat. Ergo, si hoc non obstantè, Oleum certò requiritur ad valorem, & essentialiam confirmationis, idem etiam de Balsamo dicendum erit.

II. Dices: Innocentius Papa III. cap. Pastoralis, de Sacramentis non iterandis, reticens ad Episcopum Helientem, ait: Præterea nos consulere voluisti, an permitti debeat ministrare, qui sine impositione Manuum fuerit ad Ordinem subdiaconatus assumptus: Et si confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem non fuit Chrismate, sed Oleo delinitus? Ad quod breviter duximus respondendum, quòd in talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quòd incautè fuerat prætermissum. Atqui si Balsamum esset materia necessaria, seu essentialis confirmationis, iterari debuisset Sacramentum confirmationis, quia nullum fuisset, ac irritum: cùm non possit subsistere sine essentiali parte materiz: Ergo admixtio Balsami non est necessitate Sacramenti confirmatio. Respondeo negando minorem, quia Papa verbum iterò ibidem in propria significatione accepit, quatenus idem sonat, ac iterum conferre idem specie Sacramentum jam semel ritè collatum, non autem iterum confertur, quòd nunquam ritè fuit collatum, juxta illud de consecratione dist. 1. cap. solemnitates: Non dicitur iteratum, quòd nescitur esse factum. Layman lib. 5. tract. 2. cap. 2. Boscobic numer. 58. Herinex cit. numer. 21. Fraffen num. 9. Pirring. tit. de Sacramentis non iterandis num. 3. Reiffenstuel eod. tit. num. 21.

III. Initas: Eodem modo loquitur Innocentius de hoc casu, & de illo, in quo fuerat collatus subdiaconatus, prætermisssa impositione manuum, sed impositio manuum non est de necessitate subdiaconatus: Ergo nec admixtio Balsami erit de necessitate Sacramenti confirmationis. Respondeo cum Patre Boscobic numer. 64. nego majorem: quippe Innocentius studens brevitati, ut patet ex illis verbis: ad quod breviter duximus respondendum, dat Generale responsum applicandum eum proportionè singulis quæstionibus; tamquam diceret: Cum utrumque Sacramentum non sit iterabile, neutrum est iterandum: nec censetur id fieri, si suppleatur, quòd omisum est, si ve manus impositio (per quam à Reiffenstuel cit. num. 9. Respectu subdiaconatus, intelligitur hoc loco collatio primæ consecræ, vel Ordinum Minorum, quæ utique subdiaconatus est accidentalis: siquidem in ordinatione subdiaconi nulla penitus adhibetur manus impositio) si ve unctio cum Chrismate, & forma correspondente: quia prior unctio cum solo Oleo nulla fuit: Idem docet Herinex l. c.

IV. Ad materiam Sacramenti confirmationis, seu Chrismi conficiendum sufficit quodcunque Balsamum, si ve perfectum, si ve imperfectum, sicut est Indicum, quale nostris temporibus in satis bona quantitate adfertur ex Indiis, etsi diversæ fortè speciei sit à Galatino: sicut ad materiam consecrationis calicis sufficit vinum, si ve sit ejusdem, aut diversæ speciei cum illo, quo usus est Christus. Unde Paulus Tertius, & sanctus Pius Quintus apud Herinex citatum num. 23. feruntur declarasse, ex Balsamo Indico, utpote vero Balsamo posse confici Chrisma. Quare non est timendum, ne ob raritatem, aut caritatem Balsami usus Sacramenti confirmationis cesseret, sicut ipsa praxis Ecclesiæ, tot sæculis continuatâ satis ostendit. Adde, quòd, cùm hoc Sacramentum non sit necessarium necessitate mediæ, vel præcepti, non fuit necesse, ut ejus materia esset ita obvia, perinde, ut Reliquorum Sacramentorum

tum. Hinc etiam inferitur, non valere Sacramentum, si prius ungetur confirmandus Oleo, & deinde Balsamo: tum quia sic non ungeretur Chrismate, quod tamen est materia essentialis Sacramenti confirmationis: tum quia non verificaretur forma confirmationis, videlicet: signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in Nomine Patris, &c.

§. II. Consecratum ab Episcopo.

11 Putant aliqui, inter quos est Paludanus, Cajetanus, Sotus, Valentia, &c. Consecrationem, qua Episcopus Chrisma benedicit, esse tantam necessariam necessitate præcepti ad materiam Sacramenti confirmationis, non vero necessitate Sacramenti, seu ad valorem, quod probant, tum quia hæc Chrismatis benedictio est aliquod sacramentale ab Ecclesia institutum, sicut est benedictio Aquæ baptismalis, tum quia eodem Chrismate ab Episcopo benedicto inungitur baptizandus, & confirmandus, sed respectu baptizandi est mera cæremonia ab Ecclesia instituta: Ergo etiam respectu confirmandi; unde deducunt, quod sicut respectu baptizandi sufficit Chrismata simpliciter sacerdoti benedictum, ita etiam respectu confirmandi. Communis tamen sententia cum Divo Thoma, Scoto, Brancato, Centino, Pontio, & aliis Scotistis passim, & cum tota recentiorum Cæterva docet, consecrationem Episcopi esse necessariam necessitate Sacramenti etiam, & materiam essentialem Sacramenti confirmationis esse Chrisma ab Episcopo consecratum, saltem tamquam ab Ordinario consecrante. Ratio: quia Concilium Florentinum supradictum, sicut requirit Chrisma consecutum ex Oleo, & Balsamo, sic simpliciter, & æqualiter requirit, ut sit per Episcopum benedictum; ergo sicut necessitate Sacramenti ad materiam confirmationis requiritur Oleum, & Balsamum, sic & Episcopalis benedictio. Idem indicat Concilium Tridentinum, sess. 7. Can. 2. de confirmatione, supponens à Catholicis tribui virtutem, sive efficaciam Sacro, (id est, consecrato) confirmationis Chrismati. Id ipsum insinuant sancti Patres, & perpetuus usus Ecclesiæ, quo adeo constanter exigitur unguentum benedictum, ut nullo umquam casu aliud fuerit practicum. Congruentia verò, cur materia hujus Sacramenti debeat necessariò esse benedicta, ut validè conferatur, assignatur à Doctore subtili in 4. distinctione septima, questione prima, eo quod Christus contactu suæ carnis mundissimæ, omnem aquam consecravit in usum baptismi: non autem materiam illam confirmationis, & idem requiritur hic specialis consecratio, & sanctificatio, quod etiam, inquit, esse rationale magis hic, quam ibi: quia baptismus est Sacramentum necessitatis, & idem potest à quocumque Ministro conferri, & rationale est, quod in aqua non consecrata: alioquin materia conveniens non posset esse communis, qua ratione etiam utitur Catechismus Romanus ad idem probandum. Ex qua doctrina Scoti facile solvuntur rationes contrarie sententiæ supra adductæ, assignando disparitatem de benedictione Chrismatis, & Aquæ baptismalis: idem enim benedictio Aquæ baptismalis, sicut etiam benedictio chrismatis, quo baptizandi unguuntur, est sacramentale quoddam, quia talis benedictio non fuit à Christo instituta: sed ab Ecclesia ordinata, & consequenter sine illa validus potest esse baptismus: At benedictio chrismatis, quo ungitur confirmandus, est ab ipso Christo instituta, ut constat ex Concilio Florentino citato, & idem sine ipsa validum esse nequit confirmationis sacramentum. Non tamen à Christo certa benedictionis formula fuit determinata: siquidem Christus solummodò decrevit, ut chrisma benediceretur ab Episcopo: modum verò benedictionis, qua Episcopus uti debeat, Ecclesiæ arbitrio reliquit. Ita Abellius, & Lambertus apud Mastrium Theol. Moral. disp. 17. qu. 5. art. 2. num. 70. & Sotus apud Herincx disp. 9. qu. 2. num. 25. Ex quo etiam Illung tract. 6. disp. 3. art. 1. à num. 37. infert chrisma debere esse benedictum ab Episcopo consecrato, & non tantum electo, vel à Papa confirmato: cum benedictio Episcopalis requiratur jure Divino ad valorem materię confirmationis, adeoque pertineat ad potestatem Ordinis Episcopalis.

12 Petes: An saltem per dispensationem Papalem possit consecratio Chrismatis simplici sacerdoti committi, sicut legitur à sancto Gregorio commissa aliquando administratio hujus Sacramenti? Affirmativam tenent Auctores bene multi, & graves Theologi. Verumtamen licet hæc opinio Theoricè, seu speculativè sit probabilis, practicè tamen non est probabilis. Ita Sbogar tract. 36. num. 7. Suarez, Filliucius, Layman, & alii. Ratio est: quia in Sacramentis, quando agitur de valore actus, tenemur sequi senten-

tiam tutiorem, juxta Decretum Innocentii XI. in quo prima propositio damnata sic sonat: Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, &c. Jam verò sententia negans, Papam posse simplici sacerdoti committere potestatem consecrandi chrisma pro confirmatione, utique versatur circa valorem Sacramenti esse tutior, ut de se patet: Ergo in praxi est sequenda, non verò ipsi opposita. An verò summus Pontifex possit simplici sacerdoti conferre potestatem administrandi sacramentum confirmationis, audiemus infra de Ministro hujus Sacramenti.

§. III. Materia proxima est unctio cum chrismate facta, in modum Crucis, pollice dextro Episcopi, in fronte confirmandi.

13 Communis Doctorum apud Mastrium, Herincx, Layman, Suarez, Coninch, & alios. Et patet ex Concilio Florentino supra, Ritualibus, & praxi Ecclesiæ. Ex quibus clare constat unctioem cum chrismate requiri de necessitate Sacramenti: Unctio enim est applicatio ipsius chrismatis, seu materię remotæ: deinde super eam immediate cadit forma, & per ipsam immediate significatur effectus Sacramenti. Idem de signo Crucis tenent communiter Doctores ob perpetuum, & constantem usum universalis Ecclesiæ, & colligunt ex forma consueta: signo te signo Crucis, &c. quæ alioquin non verificaretur, & quamvis hæc verba non adhibeantur in forma Græcorum, in ea tamen ponitur vox signaculum: signaculum autem Christianorum est Crux. Idem docent communiter Doctores de unctioem in fronte confirmandi ob usum perpetuum universalis Ecclesiæ; idque confirmatur ex Concilio Florentino citato ita dicente: Idem in fronte, ubi verecundie sedes est, confirmatus inungitur, ne Christi Nomen confiteri erubescat, & præcipue Crucem ejus, que Judæis est scandalum, Gentibus autem stultitia, secundum Apostolum, propter quod Crucis signo signatur. Facienda est autem hæc unctio ex usu, & præcepto Ecclesiæ, imò juxta multos ex necessitate Sacramenti, immediate dextro pollice Episcopi, ob quam causam, teste Durando, præcipue consecratur pollex Episcopi, qui, si alio digito, vel mediante instrumento, seu virgula frontem inungeret, ad minimum sacramentum redderet dubium, & sub conditione, immediato tactu pollicis chrismate tincti conferendum esset; si forte obijciatur consuetudo, & ritus Ecclesiæ Orientalis, juxta quem confirmandus non solum in fronte, sed etiam in oculis, naribus, ore, & auribus ungebatur, testificante Cyrillo, Jerosol. Catech. 3. Respondeo, solam unctioem frontis fuisse essentialem, reliquas cæremoniales. Unde etiam tunc temporis, ut referunt Patres, prima unctio fiebat in fronte, tamquam essentialis, in aliis verò partibus accessorie fiebat ad majorem expressionem effectus sacramentalis.

§. IV. Objectio proponitur, & solvitur.

14 Dices: Apostoli Actorum 8. & 19. Confirmantes, imponebant manus super baptizatos: Ergo impositio manus Episcopalis, & non unctio cum chrismate est materia proxima confirmationis. Resp. Nullam manus impositionem, distinctam ab ea, quæ requiritur in ipsa chrismatis unctioem, esse essentialem Sacramenti confirmationis materiam, quia Eugenius IV. in Concilio Florentino citato; ait, de solis Apostolis legitur (quorum vicem tenent Episcopi) quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant. Loco autem illius manus impositionis, datur in Ecclesia confirmatio. Deinde nec in Pontificali Romano, nec apud Græcos fit mentio impositionis manus. Quod autem Apostoli per impositionem manus conferebant Spiritum sanctum, factum est ex singulari Dei dispensatione, & speciali Christi privilegio, pro eo solum tempore, quo Spiritus sanctus visibiliter supra fideles descendebat, & sic tunc non erat necessaria unctio. Quia tamen etiam tempore Apostolorum ille visibilis descensus Spiritus sancti cessavit, idem etiam potest à Apostoli per unctioem chrismatis confirmabant. Ita D. Th. 62. art. 2. Scotus 4. d. 7. qu. 1. Mastrius, Herincx, Amicus, Faber, Centinus, & alii.

QUÆSTIO III.

De Forma Sacramenti Confirmationis.

SUMMARIUM.

- 16 Forma consueta Sacramenti confirmationis in Ecclesia Latina est: Signo te signo Crucis &c.
17 Congruentia hujus forma assignatur.
18 Omnia Verba hujus formæ sunt in Ecclesia Latina necessaria necessitate præcepti.
19 Non tamen necessitate Sacramenti, & ad valorem.
20 Solvitur objectio.

ASSERTIO III.

15 Forma consueta Sacramenti confirmationis est, signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: in qua forma, licet omnia Verba, in Ecclesia Latina sint necessaria necessitate præcepti, non tamen omnia sunt necessaria necessitate Sacramenti, seu ad valorem. Communis DD.

§. I. Forma consueta Sacramenti confirmationis in Ecclesia Latina.

16 Est hæc: signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ita in terminis Concilium Florentinum in Decreto unionis. Hanc formam esse sufficientem est de fide, ex modo dicto Concilio Florentino, ex Pontificali Romano, & ex communi SS. PP. & Theologorum, & etiam habetur ex Ritualibus Antiquissimis. Nec obstat, quod in S. Scriptura non sit clarè expressa: Neque enim omnia, quæ Christus circa administrationem Sacramentorum Apostolos docuit, & ipsi Ecclesiæ tradiderunt, in scripturis annotata fuerunt, ut constat ex forma baptismi quoad particulas: Ego te baptizo, & ex forma Sacramenti Ordinis (quod etiam Calvinus concedit esse Sacramentum) pro quo nulla in sacris litteris forma est assignata. Et quid est Gaufræ? Respondet Bosco hic conclus. 7. num. 138. Ex Augustino, l. 2. Oper. Imperf. cap. 142. fortassis: Ne omnia mysteria fidei nostræ, maxime non necessaria ad salutem, si fidelibus proderentur, ac ritibus exponerentur: tum etiam, quia voluit DEUS exercere humilitatem, & fidem nostram, per quam Ecclesiæ non submitteremus; Ita Bosco. Videtur tamen ad illam formam alludere S. Paulus 2. Corinth. 1. dicens: Qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos DEUS, qui, & signavit nos, & dedit pignus Spiritus sancti in cordibus nostris. Quare hæc forma in collatione Sacramenti confirmationis, etiam Apostolos usos fuisse, constat ex eo, quod ex Apostolorum doctrina, & traditione ad nos usque, perpetua consuetudine, & praxi Ecclesiæ, dimanaverit.

§. II. Congruentia hujus formæ.

17 Communiter redditur à Theologis, quod per formam confirmationis tria debeant significari, 1. Causa conferens hunc Sacramentum, & hæc ratione ad significandam causam principalem exprimitur S. S. Trinitas, cujus sicut explicitam fidem homo in baptismo suscipit, sic in confirmatione eam recipit propugnandam. 2. Significari debet robor spirituale, quo scilicet Spiritus sancti gratia quis roboratur, & velut Athleta inungitur ad tuendam, & retinendam fidem, quod insinuat his Verbis Confirmo te Chrismate salutis. 3. Debet ipsum signum militare Dacis significari, nempe Crux Christi, adeoque etiam hæc explicanda est, quod fit per illa Verba: Signo te signo Crucis. Nunc quaeritur, an omnia verba hujus formæ sint de illius essentia, & valore, an verò sint tantum necessaria necessitate præcepti? itaque dicimus,

§. III. Omnia Verba formæ prædictæ sunt necessaria necessitate præcepti, in Ecclesia Latina.

18 Communissima Theologorum D. Thomas qu. 72. Suarez, Coninch, Aversa, Centinus, Dicastillus, Caspensis, La Croix l. 6. part. 1. num. 382. & alii recentiores passim. Rationem dat D. Thom. loc. cit. Quia cum confirmatio sit ad plenitudinem roboris fidei in baptismo accepto, per hæc debeant iterum præcipua illa Mysteria inculcari.

ri, itemque præferri Crucis signum, in quo Christus triumphavit, velut prima Tessera, & insigne Christianorum, siquidem baptizati per characterem hujus Sacramenti specialiter consignantur in Milites Christi; cum per baptismum sint tantum Oves, seu domestici Christi. Accedit, quod communior sententia, teste Mastrio in 4. disp. 2. q. 8. num. 236. affirmet, omnia verba dictæ formæ, vel iis æquivalentia, esse de essentia, & valore formæ confirmationis, estque hæc sententia sine dubio tutior, quam ei opposita: Ergo, cum in Sacramentis, ubi agitur de valore Sacramenti, teneamur sequi sententiam tutiorem, ut jam supra dictum, tenebitur Episcopus sub peccato, in collatione Sacramenti confirmationis, uti omnibus formæ prædictæ verbis, in Ecclesia Latina. Dicitur est, in Ecclesia Latina, quia in Ecclesia Græca, Græci valide, & licite utuntur forma sequente. Signaculum Domini, vel Donationis Spiritus sancti, in qua subintelligitur verbum imperativum. Accipe, vel donatur tibi, siquidem nullus umquam Græcos reprehendit propter usum hujus formæ, quia imò Clemens VIII. in Bulla Unionis inter Græcos, & Latinos, specialiter hujus formæ meminit, eamque ut validam supponit, & denique refert Amicus controversiam hanc deciam esse Romæ à nova congregatione, erecta ab Urbano VIII. super Eucharologium examinandum, dum enim examinatores venerunt ad discussionem formæ hujus Sacramenti, quæ Græci utuntur, censuerunt, illam esse validam. Ita Mastrius num. 237.

§. IV. Non tamen omnia sunt necessaria necessitate Sacramenti, seu ad valorem.

19 Sed ad essentiam formæ Sacramenti confirmationis suffi- sciunt hæc verba: signo te in Nomine Patris, &c. Vel confirmo te in Nomine Patris &c. Ita Hiquet 4. disp. 7. quæst. 1. num. 66. quem sequitur Mastrius, Pontius, & tenet etiam Amicus, contra plures Adversarios. Ratio autem est: Quia forma Sacramenti Confirmationis, qua utuntur Græci est hæc: signaculum Domini Spiritus sancti, & reputatur tamquam valida ab Ecclesia Romana, ut dictum §. præcedente: Atqui in hac forma non exprimitur invocatio expressa divinarum personarum, nec signum Crucis, nec unctio Chrismatis, sed solum causa principalis, & actus confirmationis applicatus ad personam, cui conferitur: Ergo ad essentiam, & valorem formæ confirmationis non requiruntur omnia verba in forma Ecclesiæ Latine posita, sed sufficeret dicere: signo te in Nomine Patris &c. Vel: confirmo te in Nomine Patris &c. Vel etiam: confirmo te in Nomine Spiritus sancti: Ratio hujus est: Tum quia Spiritus sanctus est principalis Author roboris animi ad confirmandam generosè fidem, eique appropriatur effectus confirmationis. Tum præcipue: quia in Spiritu sancto implicite cõjunctur tota SS. Trinitas: Nam tres Personæ sunt causa principalis, quatenus sunt Unum in Natura, Authoritate, & potentia: quippe non competit potestas Patri quia Pater, sed quia DEUS, & ita de aliis. Unde ad extra, eadem indivisibili agunt actione, Bosco disp. 3. de confirmat. sect. 1. concl. 6. & disp. 2. de baptis. sect. 2. concl. 6.

20 Nec prædictis obstat, quod Concilium Florent. citat. Pontificale, & Catechismus Romanus, cum communi Theologorum, pro forma confirmationis requirant verba sequentia: signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: quia ea tantum requirunt sub præcepto, in Ecclesia Latina: Nec est eadem Ratio de forma baptismi, & confirmationis: quia, cum per baptismum homo primum renascatur ad fidem, debet ipsius principale Mysterium ei explicitè proponi, ut credendum: Dispariter loquendum est de confirmatione, in qua, cum homo jam ad fidem renatus intelligatur, ac per expressam sanctissimæ Trinitatis Professionem in baptismo factum, Religioi Christianæ adscriptus, deinceps earundem Divinarum Personarum explicita commemoratio non est necessaria. Accedit, formam baptismi cum explicita invocatione SS. Trinitatis, fuisse à Christo determinatam, ac præscriptam, Matth. ult. quod non constat de confirmatione.

QUÆSTIO IV.

De Ministro Sacramenti confirmationis.

SUMMARIUM.

22 Minister Ordinarius confirmationis est solus Episcopus;